

## DE VERA RELIGIONE

### PARS SECUNDA

#### DE RELIGIONE CHRISTIANA.

138. Religionem catholicam quae, splendidiori luce refulgens, omnium ad se trahit oculos, divinam demonstrant: 1° ipsius notae intrinsecae, seu mirabilis excellentia; 2° ipsius notae extrinsecae.

Prior demonstratio, quia non applicatur nisi doctrinae Christi, qualis in Ecclesia Romana intelligitur et edocetur, remittenda est ad sequentem tractatum de *vera Ecclesia*. Posterior autem, quadruplici argumentorum genere potissimum continetur: 1<sup>um</sup>, ex factis evangelicis; 2<sup>um</sup>, ex nascentis Christianismi historia; 3<sup>um</sup>, ex mira utriusque Testamenti, novi et veteris, consensione; 4<sup>um</sup>, ex falsitate aliarum religionum positivarum.

Primum argumentum afferri nequit nisi stabilita librorum historicorum novi Testamenti, id est, Evangeliorum et Actuum Apostolorum historica auctoritate; ergo quinque erunt dissertationes.

### DISSERTATIO PRIMA

#### DE AUCTORITATE HISTORICA EVANGELIORUM ET ACTUUM APOSTOLORUM.

139. Postquam Rationalistarum placita circa praedictorum librorum auctoritatem exposuerimus, demons-

trandum erit, eos libros esse genuinos, substantialiter integros, et veraces; ex quo patebit adversariorum systemata omni carere fundamento. Sint igitur quaestiones quinque.

(Vide D. Wallon : *De la croyance due à l'Évangile. Vie de Notre-Seigneur J.-C.; Introduction.* — DD. Meignan : *Les Évangiles et la critique au XIX<sup>e</sup> siècle.* — De Valroger : *Introduction sur le nouveau Testament.* — H. Perreyve, apud : *le Correspondant* : mai et octobre 1859.)

#### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Quid sentiant Rationalistae de auctoritate historica Evangeliorum et Actuum Apostolorum?

140. Resp. Nonnihil praenotandum est circa auctoritatem libri historicam.

Haec auctoritas in eo consistit, quod vera sint quae in eo narrantur. At illa veritas maxime pendet ex scientia et veracitate auctoris; ideoque, ad hanc veritatem demonstrandam, maxime refert cognoscere libri auctorem, aut saltem epocham in qua scriptus est. Nihil tamen nobis prodesset cognoscere auctorem vera scripsisse, nisi constaret simul ejus librum fideliter ad nos pervenisse, seu talem qualis fuit ab auctore exaratus. Ergo, priusquam alicujus libri auctoritas historica stabiliatur, oportet ostendere: 1° eum esse *authenticum*, seu potius, *genuinum*, id est, hunc habere auctorem cui adscribi solet; vel, si auctor ignoretur, ea aetate scriptum esse ad quam refertur; liber autem non genuinus dicitur *spurius*, seu, *suppositivus*; 2° eum esse *integrum*, seu, neque per addi-